



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 120. Hujus Sententiæ dilatio a Cæsare Romæ impetrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1552.

„tam importunis precibus sollicitastis, re-  
„umque tanquam Virum meritorum e-  
„minencia, animi magnitudine & probatæ  
„virtutis laude celeberrimum deprædi-  
„castis, nec non ejus obsequia veluti  
„Christianæ Reipublicæ summopere ne-  
„cessaria extulistis? quapropter Ponti-  
fex nulla habita precum ratione, serva-  
tis omnibus juxta legum præscripta ne-  
cessariis solemnitatibus in Ferdinandum,  
hujusque cædis Auctores, fautores, ac  
socios excommunicationem, ut vocant,  
majorem fulminabat, edito hanc in rem  
diplomate Mense Aprili, jussuque Pon-  
tificis hæc sententia fuit typis impressa,  
ut apud omnes Christianos promulgata  
affigeretur. (\*)

§. CXX.

*Hujus sententiæ dilatio a Cæsare Ro-  
mæ impetrata.*

Hæc sententia cum Carolum V. valde *Raynald. l. 1.*  
affligeret, acrius apud Pontificem *c. n. 5.*  
instabat, ut saltem hujus anathematis  
exe-

(\*) Ferdinandi vindiciæ legi possunt apud  
Odoricum Raynaldum loc. cit. & Nicolaum  
Palmæum in actis Concilii Tridentini fol mihi  
283. vide quoque Petri de Reva centuriam VI. a-  
pud Schwandtnerum t. 2. de Scriptoribus rerum  
Hungaricarum fol. mihi 730. 734. & seq.

Sæcul. XVI  
A.C. 1552.

executio præpediretur: præcipue vero Castaldus, quem sacra hæc fulmina, tanquam præcipuum violentæ hujus cædis Auctorem præprimis feriebant, hac excommunicatione non tam terri- tus, quam exacerbatus ad Ascanium Centorium die vigesima secunda Julii hanc in rem literas dedit, questus, quod ipse, cum bello contra Turcas pro Religionis salute suscepto vitam suam mille periculis omni ferme die exposuis- set, hosque infideles, necnon Molda- vos, & Tartaros in fugam egisset, nunc a Papa tanquam sceleratus haberetur, ac censuris gravaretur. Postea demortui Cardinalis famam convitiis laceffens, eundem potius infidelem Cerberum, quam Christianum appellat, eumque Turcas in Hungariam evocasse insimu- lat. Porro Imperator sua auctoritate, atque conceptæ indignationis metu tan- tum Romæ impetravit, ut sententiæ latæ promulgatio differretur, donec plenior de rei veritate quæstio habita esset: Ferdinandus tamen ne Papam magis irritaret, se tanquam anathema- te perculsum gerebat, atque ab Eccle- siæ ingressu, necnon Sacramentorum communionem abstinerebat. Ceterum hujus censuræ vis haud diu perdurabat; quip- pe totum hoc negotium quatuor Cardi- nalibus committebatur, qui rem ma- turius

J. Blanus  
24

turius discutere, ac contra reos denuo testes excipere jubebantur.

Sæcul XVI.  
A.C. 1552.

§. CXXI.

*Julii mandatum de Martinusii bonis  
ærarario Pontificis addicendis.*

**H**i Cardinales accepto negotio rem tanta moderatione pertractare nitebantur, ut Domum Austriacam, cujus honorem illæsum servare satagebant, minime irritarent. Ut ergo eorum proposito prosper arrideret successus, nihil magis expedire videbatur, quam si ad ipsum delicti locum Deputati mitterentur, qui plenam rei gestæ notitiam haurirent, testesque exciperent: verum cum suspicio esset, quod hic Cardinalis potius pecuniæ, ac suppellestilis suæ deprædandæ studio, quam proditiōnis causa fuisset trucidatus, atque aliunde nullis confectis testamenti tabulis decessisset, hinc præceperat summus Pontifex, ut defuncti Cardinalis Thesauri, qui decies centena aureorum millia excedere credebantur, ærarario Pontificis addicerentur, donec plene de causa cognosceretur: Cum vero Ferdinandus Pontifici exposuisset, quod relicta Cardinalis bona fuerint longe tenuiora, quam vulgus sparsisset, eorumque pars quædam ab aliis direpta, alia vero ad

ex